





in medio latronum, vel hostium incursione, [vel alio fortuito casu] pe-  
reptum est, quod portabat: querebatur inter antiquos, si prapedi-  
retur libertas, quia hoc dare servus non potest propter memoratum fortui-  
tum casum? Itaque veterum dubietate quiescente, nobis placuit, ut et li-  
bertas omnimodo competat, et commodum, quod heredi, vel extraneo  
relinquitur, non abstractatur. Ex quacunque igitur causa impediatur,  
sive per heredem, sive per eum, cui dare [aliquid] jussus est, sive per  
fortuitos casus, in libertatem quidem ipse omnimodo perveniat, nisi ipse  
servus noluerit adimplere conditionem: obnoxius tamen constituatur post  
libertatem heredi, vel ei, cui dare aliquid jussus est, (nisi et ipse obla-  
tas pecunias non susceperit: quod enim semel repudiatum ab eo est, red-  
integrari minime concedimus) quatenus hoc, quod dare jussus est, om-  
nimodo implere compellatur: vel ipso mancipio [præstando] si existat:  
vel in æstimatione ejus, non amplius, quam in quindecim solidos com-  
putanda: vel in alia re, si et ipsa appareat: vel si non existat, vera ejus  
æstimatione præstanda.— Dat. prid. kal. Maji, Constantinop., post con-  
sulatum LAMPADII et ORESTIS VV. CC. anno 2, 532.

TIT. XLVII.

DE USURIS ET FRUCTIBUS LEGATORUM, SEU FIDEICOM-  
MISSORUM.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. Maximo.  
Legatorum, seu fideicommissorum usuras ex eo tempore quo lis con-  
testata est, exigere posse manifestum est: sed et fructus rerum, et mer-  
cedes servorum, qui ex testamento debentur, similiter præstari solent.  
— Proposita prid. kal. Augusti. ÆMILIANO et FRONTONE CONS. 200.  
2. Imp. ANTONINUS A. libertis Cassiani.  
Adversus eos, qui sub obtentu legis Falcidie legata morantur, notis-  
simum est juris auxilium. Si igitur proposita stipulatione cavere cum sat-  
isfactione potestis vos restituuros, quanto amplius quam per eam legem  
licet, acceperitis: iudex, qui de fideicommissis jus dicit, solida vobis le-  
gata præstari jubebit. Quod si satisfactionem implere non poteritis: ar-  
bitrio dato certum diem vobis præfinit, intra quem altera parte cessante  
partibus suis fungetur. Et si constitit legi Falcidie locum non esse, et  
usuras et fructus post litem contestatam percipietis.— P. P. 16 kal. Jan.  
DUOBUS et ASPRIS CONS. 213.  
3. Imp. ALEXAND. A. Paterno.  
Si homines certi per fideicommissum tibi relicti fuerint, post moram  
periculo debitoris fideicommissi sunt.— Proposita 12 kal. april. JULIANO  
et CRISPINO CONS. 225.  
4. Imp. GORDIAN. A. Dionysio.  
In legatis et fideicommissis fructus post litem contestationem, non ex  
die mortis consequuntur, sive in rem, sive in personam agatur.— P.  
P. non. septemb. GORDIANO A. et AVIOLEA CONS. 240.

TIT. XLVIII.

DE INCERTIS PERSONIS.

1. Αὐτοκράτορ Ἰουστινιανός.  
Hujus constitutionis meminit Justinianus Instit. de legatis, § Post-  
humo et instit. De bon. possess. in princ. ex quibus locis hoc argu-  
mentum confeci. A. Cont.  
Cum olim incertis personis nec legata nec fideicommissa relinqui pos-  
sent, nec libertas, nec posthumo alieno, qui nec institui poterat, hæc  
omnia correxit Justinianus: ita tamen, ut incertus tutor nec hodie dari  
possit.  
Photius quoque, et Balsamon in Nomocanone non uno in loco ejus  
meminerunt, adjuntque esse tit. 48, lib. 6, constitutionem unam.  
Ex his igitur et sequentes quoque epitomas confeci.  
Numerat hæc constitutio varia themata, variasque species, quibus do-  
nationibus: vide tamen L. 3, § 5, infr. de communi servo manum.  
Tr. XLVII.— 1. Lib. 3, in fin. D. de annis legat.— 2. L. 4, infr. h. t. L. 91, in fin. D. de  
legat. 1.— 3. L. 3, D. de usuris; L. 78, D. de legat. 2. L. 6, in fin. D. si cui plus quam per  
leg. Falcid.; adde L. pen. D. de usuris; L. 88, in fin. D. ad leg. Falcid.— 4. L. 39, § 1: L.  
4, D. de legat. 1.— 5. L. 1, supr. h. t.— 6. Item vide L. 45, D. de usuris; L. 86, §  
Tr. XLVIII.— 1. § 25, § 27, Inst. de legat.; adde L. 4, D. de reb. dubiis.— 2. Pr. Inst.  
de bonor. possess. § 25, Inst. de legat.— 3. d. § 27, L. 20, L. 50, D. de testam. tut.— 4. L.  
20, D. de reb. dubis.— 5. d. L. 20, adde L. 38, § 6, D. de legat. 3; L. 1, supr. de sacros.

cet id quod illicito collegio relictum est, non valere, nisi singulis e col-  
legio legatum sit: contra autem quidquid licito collegio legatur, valere.  
Nomocanonis tit. 12, cap. 9.  
Item aliud argumentum.  
Dicit constitutio valere quod relinquitur licito collegio, aut corpori,  
vel clericis, vel collegiis, vel curiæ, vel cohorti præsidis, vel medicis,  
vel doctoribus, vel advocatis, vel militibus, vel ejusdem artificii opifici-  
bus seu artificibus, vel sacerdotibus, vel cupiam alii corpori: et ait,  
relictum dividi viritim, et ex æquis partibus inter eos, qui tempore  
mortis testatoris fuerunt descripti in albo, præterquam si certam quan-  
tatem testator unicuique attribuerit. Dicit quoque ad extremum ea con-  
stitutio, quod si semel, aut annum quid in pios usus relictum sit, aut  
ecclesiis, aut xenonibus, aut ptochiis, aut venerabilibus domibus, aut  
communi clericorum, aut ad captivorum redemptionem, aut ipsis pau-  
peribus, vel captivis, valeat defuncti voluntas.— Nomocanonis tit. 2,  
cap. 1.

TIT. XLIX.

AD SENATUSCONSULTUM TREBELLIANUM.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. Probo.  
Si ex senatusconsulto quartam partem hereditatis retinuitis, et dodran-  
tem fideicommissario restituitis: quod creditoribus hereditariis pro no-  
vem uncis præstiteris, a fideicommissario petere potes.— P. P. 18  
kal. april. LATERANO et RUFINO CONS. 198.  
2. Imp. PHILIPPUS [A.] et PHILIPP. C. Juliano.  
Ad eum, cui ex Trebelliano SC. pars hereditatis restituitur, succes-  
sionis onera, seu legatorum præstationem pro competenti portione spectare,  
incubitat iuris est.— P. P. 18 kal. novemb. PEREGRINO et ÆMILIANO  
CONS. 248.  
3. Imp. CARUS, CARIN. et NUMERIAN. AAA. Zotico et aliis.  
Si per fideicommissum hereditas republica relicta est ex Trebel-  
liano SC. (quod ab intestato quoque locum habet) quartæ partis, et  
fructus ejus vobis restitutio competit.— Sine die et consule.  
4. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Quintianæ.  
Non justam te gerere solitudinem per fideicommissum relicte portio-  
nis hereditatis perspicimus, verentem ne fructum amittas relicti fideicom-  
missi, quoniam avia testatoris ex parte heres scripta, et tibi rogata res-  
tituere, calliditate, ac fraude repudiavit, ut ad alium nepotem eundemque  
coheredem devolvatur portio, a quo tibi nominatim non fuerat fideicom-  
missum relictum, et coacta suspectam hereditatem adire: priusquam  
pro herede gereret, rebus sit humanis exempta: cum divo Antonino pa-  
renti nostro deberi etiam a substitutis fideicommissum contemplatione  
iudicii testatoris, quasi tacite ab his repetitum, jam dudum placuerit.  
Neque enim quartæ retentionem, quam illa, quæ repudiavit, hereditatem  
adire coacta, ut suspectam retinere non potuit, timere debes.— S.  
6 id. Jul. Philippopol., AA. CONS.  
5. Idem, AA. et CC. Verissimo.  
Et sine scriptura per fideicommissum hereditas recte relinquitur.  
Igitur si uxor tua te, et privignum suum in discrimine mortis constituta  
designavit, velle successionem obtinere usque ad dodrantem; ejus volun-  
tatem ratam servari convenit: cum [ab] intestato ei succedentes, de  
restituendo fideicommissio conventos, ultra quartam, ære alieno deducto,  
quantum penes eos sententia SC. relinqui præcepit, tantum obtinere  
posse præstiterit.— S. 8 kal. Maji, Sirmii, CC. CONS.  
6. Imp. ZEXO A. Dioscorio P. P.  
Jubemus, quotiens pater, vel mater filio, seu filia, filiis vel filiabus  
ex æquis, vel inæquis partibus hereditas instituitis, invicem suo simpli-  
citer quosdam ex his aut quandam rogaverit, qui prior sine liberis des-  
cesserit, portionem hereditatis suæ superstiti seu superstitibus res-  
tituere: ut omnibus modis retenta quarta pro auctoritate Trebelliani SC.  
non per imputationem redituum (licet hoc testator rogaverit vel jussit)  
sed de ipsis rebus hereditariis, dodrans restituatur. Idemque in re-  
cetas; L. 8, supr. de hered. instit.

Tr. XLIX.— 1. Lib. 36, D. 12 Lib. 2, Instit. 25.— 2. L. 2, infr. h. t.— 3. L. 1, § pen-  
§ ult. D. eod. § 5, § 6, Inst. de fideicom. hered.: L. 1, § 19; L. 25, § 1, D. ut legatorum—  
4. Fac. L. 1, § 5; L. 3, in fin. D. L. 4, infr. ad leg. Falcid.— 5. L. 5, infr.: L. 6, § 1, D.  
h. t.; L. 4, supr. de codicillis; L. ult. infr. quando dies legat.; L. 13, D. de inoffic. testam.—  
6. L. 22, § 2, D. h. t.— 7. Adde L. 14, § 5; L. 28, D. eod.— 8. L. 74, D. de legat. 1; L. 61,  
in fin. D. de legat. 2.— 9. L. 22, supr. de fideicom.— 10. L. 3, supr. h. t.— 11. Auth. eod.  
cum testator, infr. ad leg. Falcid.; § ult. Inst. h. t.— 12. Abrog. L. 18, § 1; L. 23, § 4, D.  
eod.

tinenda legis Falcidie portione obtinere jubemus: et si pater vel mater  
filio seu filia instituitis (sicut supra dictum est) heredibus, rogaverit eos  
easve nepotibus vel neptibus, pronepotibus vel proneptibus suis, ac  
deinceps restituere hereditatem.— § 1. In supradictis autem casibus  
fideicommissorum servandorum satisfactionem cessare jubemus, si non  
specialiter eandem satisfactionem testator exigi disposuerit, et cum pa-  
ter vel mater secundis existimant nuptiis non abstinendum. In his  
enim duobus casibus, id est, cum testator specialiter satisfari voluerit,  
vel cum secundis se pater vel mater matrimonii junxerit, necesse est,  
ut eadem satisfatio pro legum ordine præbeatur.— § 2. Sin autem is qui  
fideicommissaria restitutione gravatus est, uno filio superstiti, vel  
nepote ex filio seu filia nato, vel pronepote, vel posthumo relicto dece-  
serit: non videtur exiisse conditio, et ideo deficit fideicommissi petitio.  
— § 3. Illud etiam admonemus ea quæ de Falcidie portione non per  
reditus, sed per ipsas res hereditarias retinenda, et de satisfactione fidei-  
commissorum (sicut supra dictum est) concedenda diximus; non ulter-  
ius quam in his personis et casibus, quorum superius mentio facta est,  
oportere produci.— P. P. kal. septemb. Constantinop., PROBINO et EU-  
SEBIO CONS. 489.

In AUTHENT. de sanct. episc., § Sed et hoc præsentis, al. § Si quis sub  
conditione, col. 9, tit. 6, al. 15, Novell. 125, cap. 37.  
Nisi rogati, restituere datum dotis causa, vel propter nuptias do-  
nationis, vel relictum sub conditione nuptiarum vel liberorum, mo-  
nasterium, vel alium locum venerabilem ingrediantur: sive restitutio,  
aut substitutio fiat sub prædictis conditionibus sive in redemptionem  
captivorum, seu in egentium alimenta.  
In AUTHENT. de restit., § Nobis ergo recte, col. 8, tit. 9, al. 4,  
Novell. 108, cap. 1.  
Contra cum rogatus fuerit quis, ut sine liberis decedens, quod tunc  
ex hereditate superest, restituat, vel alius hujusmodi fideicommissi ver-  
bis gravatus, quartam institutionis fideicommissario restituere cogitur.  
Super hoc igitur, et cautionem, nisi a defuncto remissa sit, exponet.  
Quod si contingat eam diminui, aut ex ipsius substantia suppletur, aut  
ea deficiente, in rem actione et hypothecaria fideicommissario uti  
permittitur adversus rerum acceptores. Ex causa tamen dotis, seu pro-  
pter nuptias donationis, seu captivorum redemptionis, vel si non ha-  
beat, unde faciat expensas, hujus quartæ permissum diminitio.  
7. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

Sancimus, licentiam esse etiam soli tutori recte fieri fideicommissi  
nomine universitatis restitutionem, quod pupillo relictum est, et sine  
onere fidejussionis: ubi tamen pupillus dari non possit, vel abesse nos-  
citur: ne dum nimia subtilitate utimur circa res pupillares, ipsa sub-  
tilitas ad perniciem eorum revertatur. Idemque juris esse oportet, et  
si furioso fideicommissaria debeatur hereditas: ut restitutio curatori  
ejus soli nomine scilicet furiosi celebretur. Quis enim sensus, quæ vox  
certa furioso esse intelligitur, cum [in] utroque casu restituentes plenis-  
simam consequantur ex nostra lege securitatem? Hoc eodem observando,  
et si ipsi pupilli vel furiosi restitutione gravati sunt.— § 1. Cum autem  
aliquis hereditatem restituere jussus est, et dolo malo vel post litem con-  
testatam vel antea sese contumaciter celaverit: vel si suppositus fidei-  
commissaria restitutioni, antequam restituere hereditatem ab hac luce  
substractus est, nullo herede, vel successore [ei] existente: vel fideicom-  
missarius cui restituta est ex Trebelliano SC. hereditas, alii per fidei-  
commissum restituere jussus fuerit res hereditarias: quemadmodum ac-  
tionum translatio celebratur in tribus istis casibus apud veteres dubita-  
batur? et Domitius Ulpianus constituendum esse super his putavit.  
Sancimus itaque, ut sive per contumaciam abfuerit is, cui restitutio  
imposita est, sive morte præventus nullo relicto successore fuerit, sive  
a primo fideicommissario in secundum translatio celebrari jussa est, ip-  
so jure utiles actiones præferantur.— Dat. 10 kal. novemb. Con-  
stantinop., LAMPADIO et ORESTE VV. CC. CONS. 530.

8. Idem, A. Joanni P. P.  
Quidam testamentum condito, jussit heredem omnem hereditatem, quam  
ei dereliquit, alii restituere: speciale etiam fideicommissum alteri ad-  
scripsit: et querebatur, specialis fideicommissarius id, quod ei relic-  
13. Adde N. 108, c. 2; L. 7, infr. ut in possess. legat.— 14. N. 22, c. 41.— 15. Fac.  
L. 101, § 1, D. de condit. et demonstrat.; L. 6, supr. de instit. et substit.; L. 50, supr. de  
fideicom.; L. 1, supr. de condit. insert.; L. ult. D. de pollicitationib.; L. 148, L. 149, D. de  
reg. jur.— 16. Confer L. 18, § 1; L. 22, § 2; L. 27, § 16; L. 35, D. h. t.— 17. L. 1, § 2;  
L. 35, L. 37, § 1; L. 38, L. 39, D. eod.— 18. L. 6, supr. de legib.— 19. d. § 12; d. L. 35.  
— 20. L. 67, D. eod.— 21. L. 15, L. 14, D. de testam. milit.— 22. L. 57, D. h. t.— 23. L.  
44, D. eod.; L. 1, supr. de obligation.—  
17. L.— 1. Lib. 35, D. 2; § 3; Lib. 2, Inst. 22; N. 1.— 2. L. 19, infr. h. t.— 3. L. 32, §

tum est, a quo consequi debeat: utrumne ab herede, ut post restitu-  
tionem ejus alias res universitatis fideicommissarius accipiat? an una-  
cum aliis rebus oporteat, et hoc generali fideicommissario aggregari, ut  
ipse speciali fideicommissario hoc tradat, sive in rebus, sive in pecuniis  
fideicommissum [relictum sit]? Sancimus itaque totam quidem substan-  
tiam secundum senatusconsulti Trebelliani auctoritatem restitui generali  
fideicommissario; illum autem speciali fideicommissario id, quod ei de-  
relictum est, pendere.— Dat. 18 kal. novemb. Constantinop., post  
consulatuum LAMPAD. et ORESTIS VV. CC. anno secundo, 532.

TIT. L.

AD LEGEM FALCIDIAM.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. Prisco.  
Scire debes, omnia Falcidia, quo plenior fidem restituendæ por-  
tionis exhiberes, non videri plus debito solutum esse.— P. P. 3 id.  
Maji, LATERANO et RUFINO CONS. 198.  
2. Idem, A. Sactiano.  
Falcidia rationem adversus omnes pro modo legatorum, et fideicom-  
missorum locum habere, certi et explorati juris est.— P. P. kal. Jul.  
LATERANO et RUFINO CONS. 198.  
3. Imp. ALEXANDER A. Hermagoræ.  
Etiamsi tacitum fideicommissum heredem administrasse apparuerit,  
legata tamen, seu fideicommissa, quæ testamento relicta sunt, præ-  
standa esse, ambigi non oportet: ad eum videlicet modum, quem lex  
Falcidia patitur: cum quartam, quæ aufertur heredi, qui contra legem  
fidem suam obtulit, legatariis proficere non placuit.— P. P. id. octob.  
ALEXANDRO A. CONS. 223.  
4. Idem, A. Philetiano.  
Et in legatis principi datis legem Falcidiam locum habere merito  
divo Hadriano placuit.— P. P. 8 kal. Jan. ALEXANDRO A. CONS. 223.  
5. Idem, A. Damasatæ.  
Si mortis causa immodicas donationes in sororem tuam matrem con-  
tulisse probare potes, legis Falcidie ratione secundum constitutionem divi  
Severi avi mei uti [merito] potes.— P. P. 18 kal. novemb. MAXIMO 2 et  
ÆLIANO CONS. 224.  
6. Idem, A. Secundinæ.

In imponenda ratione legis Falcidie omne æs alienum deducitur, etiam  
quod ipsi heredi mortis tempore debitum fuerit, quamvis additione heredi-  
tatis confusæ sint actiones.— § 1. Omnia autem legata, quamvis in  
operibus publicis conficiendis statusque ponendis data sint, ad contribu-  
tionem dodrantis pro rata suæ ejusque quantitatis revocantur.— § 2.  
Nec si quid ultra solidum heres præstiterit, aut perfecerit, legitima  
computationi præjudicatur.— S. 8 kal. Januar. MAXIMO 2 et ÆLIANO  
CONS. 224.

7. Idem, A. [Primo, et] P. Pomponio.  
In testamento quidem militis jus legis Falcidie cessat. Sed si ea, quæ  
ad vos pertinent, defunctus tenuit, honorum ejus videri minime possunt:  
et ideo recte rationem eorum, ut æris alieni, haberi desiderabit. —  
P. P. kal. Maji, ALEXANDRO 2 et MARCELLO CONS. 227.  
In AUTHENT. de herede, et Falcidia, § Hinc nobis, et § sequ.,  
col. 1, tit. 1, Novell. 1, cap. 2 et 3.  
Sed cum testator hoc expressim vetuit, non ignarus quis modus  
sit sui patrimonii, cessat Falcidia: et si heres in hoc defuncto non  
pareat, defertur hereditas personis enumeratis sub titulo de legatis, et  
fideicommissis. Item si heres quedam legata, substantiæ suæ mensuram  
subtiliter agnoscens, præstat in solidum: neque ex his repetitio,  
nec ex his aliis permissum retentio, nisi inopinatum quid emergat.  
His cessantibus locus est Falcidie, si fiat inventarium secundum mo-  
dum, tempusque statutum in additione: hæc quoque adhibita observa-  
tione, ut in presentia omnium ipsius civitatis, in qua fiat, legatariorum,  
aut pro eis agentium, sit personæ ratio sit habenda, perficatur.  
5; L. 59, D. 4, ult. Inst. eod.; § 3, Inst. de fideicommiss. hered.— 4. L. 59, in fin. D. h. t.—  
5. Fac. L. 7, supr. qui testam. fecere poss.; vide tamen L. 51, D. de legib.— 6. L. 18, vers. si  
enim, infr. h. t.; L. 2, in fin. infr. de donat. causa mort.; L. 77, § 2, D. de legat. 2.— 7. L. 8,  
in fin.; L. 14, infr.; L. 12, L. 39, L. 87, § 2, D. 4, Inst. h. t.; L. 64, D. ad SC. Trebell.;  
fac. L. 39, § 1; D. de verb. signif.— 8. L. 5, supr. de fideicommiss.— 9. Confer L. 15, § 2;  
L. 16, L. 63, D. h. t.; abrog. Auth. sed cum, infr. eod.— 10. Adde L. 12, supr. de testam.  
milit.; L. 1, § 22, D. si cui plus quam per leg. Falcid.— 11. Abrog. L. 16, § 1, D. h. t.—  
12. Abrog. L. 6, § ult. supr. eod.